



XI. 11<sup>a</sup> Q.

(cat. 4, 53-52.)


9.  
SACRORVM  
ACADEMIAE IENENSIS  
SECVLARIVM  
HISTORIA

AVCTORE  
IO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO

ELOQVENT. ET POES. PROF. PVBL. ORD. SOCIETATIS  
LATINAE IENENSIS DIRECTORE



IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS  
C1D19CC LVIII





ACRA secularia summa maiores nostri religione confici caerimoniaque voluerunt, nec profecto mirum, si parem iis hodie tribui honorem: si et nostra aetate omnium fere animos ista attentos reddere et totius saepe prouinciae oculos ad se rapere, videamus. Praeterea enim, quod sumtuosus plerumque ac splendidus esse solet eorum adparatus; auget etiam dignitatem, quod, quum redeunt, post tot annorum decursum sic redeunt, vt hominis memoriam et aetatem quam longissime videantur superare. In quibus omnibus etsi multa sunt, auri-

A 2

bus

bus et oculis nostris dignissima; nescio tamen, an vllum eorumdem genus praeferendum sit academicis, quibus musae officinarum suarum dies natales celebrare primaeque earum originis memoriam inuiolate pieque conseruare student. Etenim, si ex ipsa rei, cuius causa statae sollempnesque caerimoniae sunt, dignitate ipsam sacrorum dignitatem aestimare, fas est, nemini profecto mirum videbitur, si seculares academiarum feriae tanto habeantur religiosiores, tantoque plus inferant in animos spectantium reuerentiae, quanto firmiter felicitatis publicae praesidium ipsis his musarum templis eorumque conseruatione continetur. Tales festos et insolito suo splendore memorabiles dies praeterito anno egisse se, gloriatur nostrum musarum domicilium, omnibus, qui litteras et puriorem de rebus diuinis doctrinam amant, iucundissimos aequae ac sanctissimos. \* Dies enim fuerunt academiae, cuius per duo secula in litteras merita tanta fuere, quanta summa et amplissima esse solent: academiae, quae fertilissimorum ingeniorum prouentu omni tempore floruit: quae a primis fere suis incunabilis vsque ad nostram aetatem litteratissimorum ciuium colonias vniuersae Germaniae dedit, cuius denique haec paene inuidenda laus est et gloria, quod inter lutheranas omnium prima et eo potissimum consilio condita fuit, vt prioris doctrinae praesidium nostraeque sanctissimae religionis propugnaculum esset firmissimum.

SACRA

\* sacrorum nostrorum adcuratam descriptionem germanica lingua exaratam dedit collega noster desideratissimus, praematura nuper morte nobis ereptus, excell. BASILIUS BERN. CHRIST. WIEDEBVROIVS in der Nachricht von denen Feyerlichkeiten, mit welchen das Andenken der vor zweyhundert Jahren erfolgten Einweihung der ienaischen Akademie begangen worden, Ienæ CIO IO CCLVIII. 4.

SACRA haec secularia peracta sunt clementissimorum academiae huius conseruatorum, serenissimorum Saxoniae ex Ernestina stirpe ducum, ANTONII VLRIICI, FRANCISCI IOSIAE, FRIDERICT III et ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI, auspiciis, rectore magnificentissimo laudato serenissimo principe ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO, duce Saxo-Vinariensi, cuius virtutibus nihil vidit excellentius: morte, quam ipso seculari anno subiit, praematura nihil vnquam sensit acerbius et academia et vniuersa ciuitas. Iphis sollemnibus feriis dies secundus mensis februarii in fastis nostris dicatus erat et praestitutus. Sedulo igitur ante, ne quid vel ad ornatum; vel splendorem horum sacrorum deesset, prouidendum ac de eo cogitandum fuit, vt, quidquid ad ea pie ac decore peragenda esset necessarium, id omne tempestiue et, quanto fieri posset, studio adpararetur. Quam quidem curam etsi ipsa horum dierum sanctitas suo quasi iure postulabat; suspiciosissima tamen, in quae aetas nostra incidit et vniuersae paene Germaniae calamitosa tempora senatus academici ea de re consilia retardare modo, modo impedire, modo quaeuis infauista portendere minusque fortunatum totius huius negotii exitum praesagire videbantur. Vicit tamen omnes has, quantumuis magnas, difficultates academia, singularis et constantis diuinae erga se prouidentiae memor, siquidem ipsa satis experientia didicerat, quidquid pro academia susciperetur, huius tanto laetiozem optatiozemque esse euentum, quo periculosiores scopuli ante superandi, quo maiora impedimenta, optimae causae obiecta, remouenda essent. In his cogitationibus defixus et tot diuini numinis de hac academia curae per duo secula specimenibus confirmatus senatus, tantum absfuit, vt a coepto proposito

sito dimoueri se pateretur, vt ad serenissimos Saxoniae duces, clementissimos huius musarum officinae conseruatores, litteras mitteret, quibus totum hoc sacrorum peragendorum consilium expositum et, vt ratum istud haberetur, ea, qua decet, reuerentia ac pietate rogatum fuit. Res ex voto animique sententia adeo cessit, vt spem et expectationem omnium superaret singularis principum erga hanc litterarum sedem fauor et gratia. Non satis enim fuit musagetis nostris, adprobare patrum sententiam et quidquid ea de re per senatusconsulta fuerat decretum; sed accessit etiam mirifica et nunquam satis praedicanda cura subleuandorum sumtuum, qui ad tantum opus, cum inchoandum; tum perficiendum, necessarii videbantur. Iam res abit a consilio ad vires: litterae academiae publicae, quae festos hos dies praenuntiarent, ad templi valuas adfiguntur: inuitantur ad haec sacra ciues et exteri: inuitantur ad praestituum diem academiae. Fas quippe fuit, vt quae litterarum studia tam arcto et quasi sororio vinculo coniungerent, musarum domicilia in gaudii huius societatem nobiscum venirent, et, tamquam in feriis olim latinis, communia quasi vota pro huius litteratae reipublicae constanti ac perpetua salute fierent.

PROXIMI, qui ferias nostras antecessere, dies in ingeniorum palæstra maximam partem consumti sunt. Ducti in eam ad litterata certamina, cum antemeridiana; tum pomeridiana, candidati, qui comparatas sibi eruditionis ac doctrinae vires publice ostenderent, summisque academiæ honoribus, in sacrorum horum memoriam adipiscendis, dignos sese monstrarent. Surrexit quoque vir summe reuerendus IOAN. CHRISTOPH.



STOPH. KOECHERVS sacramque orationem in templo academico ad populum habuit inque ista summae erga deum pietatis gratissimique animi officia ex fortunato sacrorum horum reditu non sine magno auscultantium plausu demonstravit. Dum haec fiunt ac geruntur, vndiquaque confluunt ad nostram urbem peregrini. Ut quisque dies feriis nostris exstitit proximus; ita maxima aduentantium multitudo visa, qui insolita haec sacra spectatum huc venire. Summum vero iisdem conciliauit splendorem legatorum perillustrum atque excellentissimorum, ANDREAE SIMSONIS DE BIECHLING, et IO. FRID. DE HENDRICH ad nostram urbem aduentus, quorum ille a serenissimo Meinungensium duce, hic a reliquis academiae conferuatoribus clementissimis ad ferias nostras cum concelebrandas; tum ornandas fuerat missus. Neque vero non admodum honorificas sibi musae nostrae duxere exterarum academia-rum, sacrorum horum causa, ad se legationes, Erfordiensis nominatim, Helmstadiensis et Erlangensis, quarum haec PHILIPPVM LVDOVIC. STATIVM MVLLERVM, illa IO. ERNESTVM SCHVBERTVM, ista RVD. CHRISTOPH. HENNIVM et SIGISMVNDVM HADELICHIVM delegauerat, viros cum ob egregia, quae quisque dudum sibi comparavit, in litteras merita; tum quod publica auctoritate missi huc venerant, summa dignitate conspicuos, qui magno sacris nostris ornamento fuere.

POSTQVAM laetissimus ille sacrorum secularium dies illuxerat, cum prima luce ex urbani templi turri plateae et vici et aedes cantu vocum ac tiliarum tympanorumque aeneorum sonitu percceperere. Cantabatur carmen sacrum et ad laudes dei

dei celebrandas compositum, vt prima, quae audiretur, secularis vox numini esset dicata, cuius gratiae et prouidentiae vniuersa huius academiae per tantum temporis spatium salus et incolumitas et ipsa tot votis expetita lux debebatur. Primus iste, qui in sacris his exortus fuerat, dies rebus diuinis faciendis fuit destinatus. Itaque hora octaua conuenere in senatus academici curiam, quotquot ad ducendam pompam sollemnem inuitati fuerant. Inde, quasi ex Capitolio, itum in forum, ex foro in templum vrbianum. Qui choros praecirent, ex literatae ciuitatis flore delecti, sic fuerant diuisi, vt singulis procedentium ordinibus, se inuicem subsequenter, singulares ductores dati essent, modo plures: modo pauciores, pro ipsa ordinis, quem praecessere, dignitate. Quanta tum multitudo, quanta vis hominum fuerit, qui pompam hanc spectatum confluxerant, vix dici potest ac narrari. Tecta referta ac laborantia: oppletae vndique viae: forum, aduolantium turba obsessum quasi ac paene suffusum, imaginem secularium Romae veteris sacrorum quodammodo referre videbatur. Sic totum splendidum agmen, inter tubarum tympanorumque e duabus turribus clangorem lente et grauius procedens, ad sacra facienda templi foribus adpropinquat.

Vix limen intrauerat senatus academicus, quum inter fidium tiliarumque praeclaros concentus tubae et aenea tympana, iucundissimo et ad reuerentiam animis incutiendam aptissimo strepitu, personarent. Suum quisque locum occupat. Ipsa sacra ad eum modum, quo iussu serenissimi principis nostri, rectoris academiae magnificentissimi, a supremo senatu sacro imperata fuerant, rite peraguntur. A sacrorum antistite,  
summe

summe reuerendo viro, IOANN. GEORGIO ZEISSINGIO oratio sacra, or grauitatis plenissima, ad concionem habetur, eodemque verba praeunte, sollempnis precatio fit, vt numen supremum volens propitiumque sacris his adesset eaque fauste, prospere ac feliciter academiae, senatui ac ciuibus euenire iuberet, coepta adprobaret ac fortunatissimum daret seculum. Cantata quoque carmina sacra deo optimo maximo, praesidi ac custodi huius vrbis et academiae. Omnia pie, decore, religiose ac vniuersa multitudine linguis, vt aiunt, fauente sunt peracta, adeo, vt, si rerum principiis omina inesse solent, ex primis his auspiciis susceptis votis aureum academiae seculum augurari quisque posset. Rebus diuinis rite perpetratis, senatum academicum, qui ante comitati fuerant, eundem, in curiam reuertentem, sequuntur, reuersum faustis adclamationibus excipiunt. Sacrum pomeridianum iisdem caerimoniis ac ritibus initum ac procuratum est. Concione in templum vrbis conuocata, verba ad populum fecit vir summe reuerendus EHRHARDVS EHRHARDT votisque iam nuncupatis noua pro huius musarum templi firma ac perpetua incolumitate addidit ac simul, quanta academiarum sit dignitas: quot nobis de huius litterarum officinae constanti per duo secula flore laetandi data sint argumenta, quamue luculenter in eadem condenda supremum numen infinitam suam prouidentiam fecerit cognitam, grauiter demonstrauit.

RELIGIOSVM hunc diem insequutus est alter, quo vix splendidiorem vnquam vel nostra; vel maiorum aetate vrbis vidit, siue pompae secularis ornatum et magnificentiam;

B

siue

siue ipsorum huius diei sollempnium sumtuosum adparatum; siue conuiuii secularis amplitudinem; siue epularum copiam et opulentiam; siue reliqua conuiuialium deliciarum genera, non sine magno impendio parata, cogitare velimus. Ducebatur agmen ab iisdem, qui praeterito die hoc officio functi fuerant, ex curia academiae in eiusdem vicinum, quod a diuo Paulo nomen habet, templum. Intransibus per vestibulum et per portam maiorem ad altare se flectentibus solium sese offerebat principis, purpura et auro nitens et militum manu stipatum, ad quod per quatuor ascendebatur gradus. Supra sellam, folio impositam, imago cernebatur rectoris magnificentissimi, vt, sicut in animo; ita in oculis ferretur indulgentissimus et musarum nostrarum amantissimus princeps: vt, quasi praesenti, debitus ipsi honor haberetur, pietate, non adulatione, apud veteres olim haud infrequente, qua reges et principes absentes in imaginibus et statuis tamquam praesentia numina colere ac venerari solebant. Solio huic ex aduerso posita erat superior et oblonga cathedra, velis, ex holoserico confatis, pulchre vestita. Hic fuit praeclarus templi nostri academici eo die adspectus, hic eius splendor, quum tota secularis pompa vna cum amplissimo comitatu inter tubarum et aeneorum tympanorum sonitum per incredibilem hominum multitudinem, velut per spissam aliquam nubem, in istud se ad horam decimam pomeridianam inferret. Vt primum suum quisque locum occupauerat, dulcissimus fidium tiliarumque sonus compleuit aures, tum ad eorundem instrumentorum concentus veterum more carmen seculare cantatum, cuius festiuitati haud parum gratiae accessit ipso cantu, etsi latinum id esset et generis alcaici; artis tamen, quas musicae periti nostra aetate praescribere solent, legibus scite adstricto

et

et genio nostri seculi adprime adcommodato. Sequuta est oratio secularis, a viro summe reuerendo CAROL. GOTTH. MULLERO, tum eloquentiae et poeseos professore, habita, qua totius academiae nomine praeteritum seculum sollempni ritu obfignatum, nouum debita erga supremum numen pietate faustis ominibus exceptum et, quanta nostrae academiae, praeteritorum annorum spatio, in omnes diuinae pariter ac humanae sapientiae disciplinas merita fuerint, praeclare monstratum fuit. Totius huius sollempnis caerimoniae finem fecere ad neruorum tibiarumque concentus alteram carminis partem scite modulantium voces.

EST in vrbe palatium principis, haud ita diu nitide reparatum, in quo multa perampla eaque ornatissima sunt conclauia; inprimis vero coenaculum spatiosissimum, opere tectorio affabre factum, et, calce coloribus et pigmentis tincta, egregie et pereleganter pictum. Quod quum ad conuiuium seculare tum ob amplitudinem; tum propter ornatum aptissimum esset visum eiusque liberum vsu a clementissimo principe obtinisset academia, post finitam orationem eo, velut ad aliquam publicae hilaritatis ac laetitiae aedem, eodem ordine, quo antea ad templum Paullinum, senatus academicus cum vniuerso splendidissimo comitatu concessit. Itum est per collegii academici plateam ad forum, ex foro ad palatii vestibulum, vbi milites, sub suis ductoribus, ad munia militaria exsequenda debitumque honorem, serenissimorum ducum legatis habendum, parati steterunt, inde in palatium. Epulum, quod ibi senatus academicus dedit, si conuiuantium numerum spectes, amplissimum, si adparatum et modum, lautissimum et sumptuosissimum

mum fuit. Discumbentium supra ducentos et quinquaginta  
 fuere. Mensae conquiffiffimis et rariffimis cibis cum in coe-  
 naculo; tum aliis conclauibus erant instructae. Tanta profecto  
 esculentorum et poculentorum fuit varietas et multitudo, vt  
 nullum, quod vel in cibis; vel in potu esse potest, deliciarum  
 genus desideraretur. Ne quid ad conuiuii ornatum deesset, ad-  
 sciti sereniffimi principis indulgentia ex eius seruorum familia  
 peritiffimi coqui, pistores, conuiuii conditores huiusque gene-  
 ris alii artifices, quorum cura et opera factum est, vt, quot sa-  
 porum deliciae et voluptatis genera; tot quoque oculis oblecta-  
 menta parata esse, viderentur. Est praeterea hodie in aulis  
 principum singulare conuiuii instructorum genus, quod ex di-  
 uersi coloris saccharo eiusque in primis puluere et alia materia  
 tabulas, picturas, signa, imagines et statuas scite, neque sine  
 magna elegantia, conficit, quae, mensae impositae apteque  
 coniunctae, vix dici potest, quam amoenum praebeant conui-  
 uantium oculis spectaculum. Neque hoc voluptatis genus se-  
 culari nostro conuiuiio deesse voluit principis nostri singularis  
 erga hanc academiam gratia. Ipsae figurae, quae in conspe-  
 ctum sese dederunt, ita fuere comparatae, vt fata fortunae-  
 que viciffitudines, quas academia nostra a primis suis incuna-  
 bulis habuit, et florentiffimum eius nostra aetate statum vno  
 quasi obtutu ex iisdem cognoscere liceret. Mensam prae-  
 terea in coenaculo primam, ad quam sereniffimorum ducum et  
 academiarum legati, illustriffimi comites et maxima patrum  
 academiae conscriptorum pars accubuere, mirum in modum  
 ornarunt vasa conuiualia principis nostri pretiosiffima, aurum  
 et argentum eiusdem potorium ac reliqua ad epularem accuba-  
 tionem, necessaria supellex multorum nummorum. Ne conui-  
 ualia

ualia aurium oblectamenta inter epulandum desiderarentur, collegium, quod hic floret, musicum Jaudabiliter curauit. Ita conuiuium hoc, tam sumtuose et opipare adparatum, inter dulcissimos neruorum tiliarumque cantus, hilarem in modum et communi laetitia celebratum est. Omnia decore acta. Quisque deinde accubantium, conuiuiio egressus, hauſto in aliis palatii conclauibus, vt ſeculi noſtri mos eſt, potu, ex toſtis fabis arabicis parato, laetus domum ſuam tempore veſperino diſceſſit. Neſas proſpecto foret, hoc loco ſingularem perilluſtris atque excellentiſſimi viri, CAROLI FRIDER. KALTSCHMIDII, humanitatem celare ac debitas ipſi in hoc ſollempni ſacro ſummas laudes reticere. Totius enim huius ſecularis diei adornandi omnique in eo feſtiuitatis ſupremam curam, vt aliarum rerum, ad ſacrorum horum ſplendorem ſpectantium, procurationem in ſe deuolui, pro ſuo erga academiam amore vir celeberrimus comiter paſſus eſt.

SVNT in hac vrbe duae litteratae ſocietates, ſororio vinculo inter ſe coniunctae, quae academiam hanc matris loco habent, inque eius ſinu fouentur ac creſcunt. Altera teutonica eſt; latina altera: illa vernaculam, haec veteris Latii linguam colit. Illa teutonico, haec romano habitu elegantiores muſas pulchre veſtire earundemque ſplendorem et elegantiam ab iniuria et contemtu grauiter vindicare ſtudet. Neſas proſpecto fuiſſet, ſi in hoc communi gaudio, quo certatim quoſque inteniſſimi gaudii ſigna proferebat: in hac publica omnium laetitia conticuiſſent filiae; nec matri ſuae, in cuius conſtanti et perpetua ſalute firmiſſimum fortunae et dignitatis habuere praefidium, ſollempnia ſummae pietatis maximeque

maeque laetitiae pignora dedissent. Neque vero non gratum acceptumque esse poterat ipsum hoc vtriusque societatis consilium senatui academico, qui, quantum adferant adiumenti eiusmodi sodalitates ad litterarum politiorum florem conseruandum: quot iisdem ad artium liberalium culturam admo- ueantur stimuli quasi et igniculi animis ciuium, per quinque fe- re lustra ipso harum societatum exemplo satis superque fuerat expertus. Itaque placuit patribus conscriptis, tertium in his feriis diem vtriusque sodalitati sacris praestituere iisque cum sol- lemnis comitatu adesse ac monimenta spectare, quibus suae in academiam pietatis memoriam vtraque cum Latii; tum Germa- niae musarum cultui dicata cohors erat consecratura. Vt sacra haec auspiciato fierent, societas teutonica academiae, latina suo nomine litteras publicas ad templi vrbani valuas, vt fieri apud nos solet, adfigendas curauerat, quibus totum hoc vtriusque consilium et, quae sacrorum horum ratio, quae causa esset, expositum et, vt sacrum hoc ciuium omniumque bonorum frequentia cohonestaretur, decenter rogatum fuit, addita sol- lemnis precatione, vt, quod in animo haberet vtrumque colle- gium, fauste prospereque litteratae huic reipublicae eueniret. Teutonicae societatis sacra horis antemeridianis in hunc fere modum peracta sunt. In aedibus viri summe reuerendi CAROL. GOTTH. MULLERI, societatis huius senioris meritissimi, ho- ra nona conuenere, qui pompae interesse eandemque comita- tu suo ornare debebant. Honorifice ibi inter tubarum tympa- norumque sonum a sodalibus teutonicis excepti, in conclauia ducebantur, in quibus mensae erant, variis vini generibus in- structae, adpositis simul bellariorum deliciis, quibus hilariter fruerentur, qui ad sollemnem coetum ornandum fuerant inuitati.

Ad



Ad horam decimam ipsorum sacrorum initium fuit. Signum datum tubis tympanisque aeneis, quibus cum ex aedibus Mullenianis; tum ex curiae academicae turri suauius sonantibus, foudales per forum in templum Paullinum comitatus est senatus academicus. Serenissimorum Saxoniae ducum et exterarum academiaram legati, eo iam curribus vecti, sacra haec spectatum concesserant. Ipsum agmen eiusque ordines praecedebant et sequebantur delecti ex litteratae nostrae ciuitatis flore tam genere; quam virtute praestantissimi iuuenes. Quum templo illatum procedentium agmen confedisset, peritissimi tibicines fidicinesque auditi sunt et voces sonorae, carmen, academiae laudibus dicatum, scite et apte modulantes. Tum surrexit, verba ad concionem facturum, illustrissimus FRIDERICVS VLTRICVS, comes DE LYNAR, potentissimo Danorum regi ab interioribus cubilis, cuius in suum collegium cooptatione nihil honorificentius sibi contingere potuisse, dudum cognouit vtraque societas. Orationem non solus generis, vnde sanguinem excellentissimus orator duxit, quantumuis maximus, splendor, non sola illustrissimae eius familiae meritorum amplitudo et copia; sed natiua quoque et permagna elegantia, tum argumenti dignitas et exquisita pertractandi ratio mirum in modum commendarunt. Illustrissimus enim orator magna academiae nostrae in musas mansuetiores merita tanta festiuitate, quanta grauitate persequutus, praeclare demonstrauit, eam, vt reliquarum; ita maxime politiorum disciplinarum florentissimam officinam omni tempore fuisse: habuisse et habere adhuc apud nos litterarum, quae ab humanitate nomen ducant, studia fortunatissimas sedes; nec vnquam viros ipsi destuisse praestantissimos, quorum cura et opera illarum dignitas ac prae-

praestantia ab iniuria et contemtu grauitur aequae ac feliciter esset vindicata. Finita oratione et, qui eam insequutus est, cantu, societati, ad Mullerianam domum reuertenti, senatus academicus comitem sese praebuit eandemque non sine multis pro constanti eius salute votis laetisque rerum futurarum auguriis domum discessurus reliquit.

POMERIDIANVM huius diei tempus Latii musis earumdemque sacris, vt supra diximus, a senatu academico dicatum fuit. \* Horum adparatus idem propemodum fuit, quem macutini sacri fuisse, audiuius. Eodem enim modo, quo ante meridiem; iam vero in aedibus parentis venerandi, IO. GEORG. WALCHII, excepti sunt patres academiae conscripti et omnes, qui cum honoris, tum officii causa pompae huic interfuere. Pari modo diuersa poculentorum et eduliorum genera inuitatis praebita: idem comitatus splendor: eadem festiua inter tubarum tympanorumque aeneorum clangorem in fo-

rum  
 \* societas latina singulari libello scripta, in sacrorum horum academiae nostrae secularium honorem et memoriam exarata, collegit eaque in lucem publicam emisit, titulo praefixo: *tertium academiae ienensis seculum a societate latina piis votis faustisque adclamationibus exceptum*, Ienae, MDCCCLVIII. 8. In hoc libello continentur: I. *programma societatis*, antea separatim editum, postea in *acta secul. acad. ienens.* p. 73. translatum: II. *oratio secularis*, a me, societatis directore, habita, *actis iisdem* p. 79. addita: III. *carmen seculare*, auctore ADOLPH. CHRIST. ERNEST. AB VFFEL, equite Misnico, quod etiam in laudatis *actis secular. acad. ienens.* p. 97. legitur: IIII. *oda secularis*, scripta a IVSTINO SCHNEEGASS, Goldbaco-Gothano, et *ad fidium tibiarumque concentus a collegio musico decantata*, in *actis*, p. 102. V. *plausus votiuum sodalium aliquot exterorum*. VI. *carmen seculare suo pluriumque sodalium exterorum nomine societati latinae dicatum a IO. FRID. SCHOEPPERLINO*: VII. *pro pace votum feris Christo recens nato sacris nuncupatum et ad societatem latinam, sacra academiae Ienensis secularia breui celebratam, transmissum a societatis sodali honorario.*

rum, hinc in templum academicum procedendi ratio. Neque ibi defuere exquisitissimae fidibus tibiisque inflatis aurium deliciae, quum carmen latinum, sacrorum horum secularium memoriae consecratum, scite et suaviter cantaretur. Personam oratoris ipsemet ego induere, a societate iustus, summam academiae ienensis ex tristioribus eius fatis gloriam ita sum persequutus, ut, quot calamitatibus exposita haec musarum sedes cum maiorum; tum nostra aetate fuerit; tot eandem providentiae et singularis curae diuinae documentis nobilitatam fuisse prouidumque numen secundioris fortunae femina omni fere tempore specie et simulacris iniquioris fortunae apud nos voluisse occultare, pro virium modo ostenderem. Quum dicendi finem fecissem, vir illustris ac generosissimus, ADOLPHVS CHRISTIANVS ERNESTVS AB VFFEL, societatis collega et insigne huius ordinis ornamentum, suggestum conscendit; neque sine magno auditorum plausu egregium et omni fere numero perelegans carmen seculare memoriter recitauit. Vltimam disertissimi poetae vocem excepit grauissimus acutissimusque tympanorum tubarumque sonus, admistis per vices tibiarum modulate canentium, et fidicularum numerose sonantium, alternis vocibus. His apte concinentibus latine quoque cantatum suaviter fuit. Omnia prospere, feliciter, neque sine bonis ominibus adclamationibusque faustissimis peracta sunt. Ne quid ad sacrorum horum splendorem deesset et, ut ad ipsam eorundem, quantumuis gratissimam, memoriam nouum dignitatis genus societati accederet, adsciti in hoc collegium sunt septem noui sodales, \* cum generis dignitate; tum insignium

C

in

\* nimirum perillustres atque excellentissimi serenissimorum ducum legati: AN-

DREAS

in litteras meritorum copia et amplitudine excellentissimi viri, in quorum patrocinio ac benevolentia tanto firmiter futurae salutis atque incolumitatis praesidium situm sibi fore, auguratur; quo illustriora exstant eorum singularis in Latii veteris musas amoris ac fauoris documenta. Societas deinde eo, vnde exierat, vna cum senatu et comitatu reliquo reuertitur, eoque inter mutua effusissimae faustaque multa praesagientis laetitiae signa dimisso, popularium munerum, sequenti die edendorum, adparationem meditatatur.

FINITIS vtriusque societatis sacris, nondum finita erat huius diei celebritas. Fuit olim in more apud romanos positum, vt congiarium populo daretur; siue largitio ciuibus, quae omnibus aliquid impertiret hilaritatis cunctosque in communis laetitiae adduceret societatem. Tale congiarium litteratis nostris ciuibus praebere inque eos omnes gaudij publici partem

DREAS SAMSON A BIECHLING, sereniss. ducis Meiningenf. a consiliis intimis et FRIDERICVS AB HENDRICH, sereniss. Saxo-Vinar. ducis sacri senatus superioris praefes vicarius, et a consiliis regiminis intimis; praeter hos vero viri perillustres atque excellentissimi GOTTF. NONNIVS, iuris vtriusque doctor, sereniss. Saxo-Vinariensis ducis a consiliis intimis: IO. POPPO GRELWERS sereniss. Saxo-Vinar. ducis consiliis intimis adfiscens, et CAR. FRID. KALTSCHMIDIVS phil. ac medicinae doctor, sereniss. ducis Saxo-Vinarienf. ab intimis camerae consiliis, sereniss. marchionis Brandenb. Culmbacensis et sereniss. Landgr. Hasso-Darmstadiensis a consiliis aulae, eorumdemque medicus, anatomiae, chirurgiae et botanices professor publicus ordinarius et medicorum ordinis senior: vir porro summe reuerendus SIGISM. BASCHIVS, theol. doctor et sacrorum in aula, vrbe et ducatu Vinariensi antistes: vir denique cel. ANG. MARIA BANDINIYS, bibliothecarius Florentinus.

partem deriuare, quum aequum visum esset patribus conscriptis, vniuersa multitudo in curiam academicam vesperi conuocatur. Aduolant vndiquaque musarum alumni seque in spatiosissimas curiae exedras cateruatim inferunt. Accenduntur lumina et exedra maior lucernis plurimis vitreis, oleo coloribus tincto, egregie illustratur. Adferuntur placentae, fruges idque genus alia multa gulae irritamenta, multae abdominis voluptates. Admouentur vasa vinaria et ex plenis oenophoris large effuseque omnibus ac singulis vinum rhenanum porrigitur. Permagna simul eiusdem vini copia ponitur in medio, vt, quantum quisque potare vellet, haurire liberum esset. Lepida fuit comissatio et rarum, hercle, atque insolitum in Mineruae delubro Cereris et Liberi patris sacrificium. Iniuriam profecto nostris litteratae reipublicae ciuibus faceret vterque, tam qui circa vini dolia et lagenas segnes eosdem ac elingues; quam qui, sui suaeque laudis adeo immemores fuisse, diceret, vt omnem inter pocula modestiam eicrasset, essent visi. Baccho aliquantulum litatum fuit; sictamen, vt nostra musarum cohors in hilaritatis, non in lasciuiae et effrenatae libidinis aede se versari, recte existimaret.

OMNIA haec tertio feriarum die, qui saturni fuit, gesta ac peracta sunt. Quem quum religiosus cultuique diuino consecratus insequeretur; hunc sine supremi numinis propter tanta beneficia laudibus transigere; neque res diuinas ad sacrorum secularium tempus adcommodare, nefas propemodum visum est senatui academico. Itaque in templo academico horis ante-meridianis sacrum sollempne procurari placuit. Conuocata ad

praestitutam horam concione, hymni a populo et inter centus musicos carmina ab artis peritis ad neruorum tibiaramque sonum cantabantur. Oratoris sacri munus in se deuolui passus venerandus parens meus, singularem dei optimi maximi in academia nostra, tam condita; quam ad nostram aetatem conseruata, praesentiam demonstrauit, infinitamque numinis vim, inprimis eius gratiam, prouidentiam ac potentiam in tanto hoc opere cum inchoando; tum perficiendo mirum in modum conspicuam fuisse, satis superque comprobauit.

EODEM hoc die societas latina sodalibus suis omnibus ac singulis, tam iis, quos in sinu suo hic fouet; quam qui ab eadem inuitati sacra eius concelebratum huc venerant, conuiuium in aedibus meis dedit. Etsi enim in ipsis his secularibus otiiis cum academiae nostrae per tot annorum decursum et in tanta fatorum varietate floris constantia; tum ipsa secundioris fortunae, qua Latii musae adhuc vsae fuerant, recordatio largissimam sodalibus praebere poterat laetandi materiam, adeo, ut gaudii sat multa se habere inuitamenta; neque in poculis quaerenda sibi noua esse, recte existimaret societas; noluit tamen committere, ut vel ipsa, quae aevi nostri consuetudo requirere videatur, laetitiae publicae signa his eius sacris ac sollemni caerimoniae deessent. Itaque hoc die non solum opipare et hilariter epulata est tota societas genioque seculi indulgit; sed etiam in academiae honorem ad primam noctem popularium munerum genus instituit. Postquam enim ipsum conuiuium laetos inter sermones ad vesperam vsque tractum fuerat, post solis occasum aedes meae, luminibus et picturis illustratae, per-  
iucun-

iuicundum in his feriis spectaculum praebuere, maximā hominum, vndique confluentium, frequentia ad mediam fere noctem celebratum. Oculos mirum in modum pascebat picturarum, luminibus illustratarum, varietas et pulchritudo, cui voluptatis generi ne aurium oblectamentum deesset, peritoti tibicines fidicinesque in superiore aedium parte collocaterat societas, institueratque, vt alternis vicibus modo aures dulcissimo neruorum et tiliarum cantu permulcerentur; modo tota vicinitas acutissimo tubarum tympanorumque strepitu personaret. Ipsi sodales, vt hos, quos instituerant, ignes ludicros propius, commodiusue spectarent, finito prandio in conducta aedium illuminatis oppositarum, conclauia concesserant. Hauſto ibi potu, ex indicis fabis cocto, factaque postea coena frugali, seria et iocos inter pocula ad mediam fere noctem sic celebrarunt, vt, quantam publica laetitia in animis eorum habuerit vim, quamue ipsis cara esset huius academiae salus et incolunitas, quilibet haud obscure possit intelligere.

VETVS est haec consuetudo, vt in sacris academiarum secularibus honores distribuantur summaque eruditionis et virtutis praemia, quibus ipsa totius religiosae caerimoniae memoria tamquam amplissimis monumentis solet consecrari. Cuius

C 3

instituti

<sup>1</sup> imaginum' harum, et totius huius festiuitatis accuratam descriptionem dedit vir amplissimus IO. CHRIST. CRAMERVS praefatione, quam *tertio academiae ienensis seculo, a societate latina piis votis faustisque adclamationibus excepto iussu istius praemissit*. Prodiit quoque ignis huius ludicri germanica descriptio, cui titulus: *kurze Nachricht von den Bemühungen der lateinischen Gesellschaft zu Iena, zur Verschönerung der zwoten akademischen JubelFeyer, insbesondere die von ihr angestellte Illumination betreffend.*

instituti vt in his quoque festis diebus ratio haberetur, cum recepta maiorum aetate consuetudo; tum ipsa horum dierum sollemnitas iure quodam suo postulare videbantur. Captis igitur iam ante primum feriarum diem per litterata, vti mos est, certamina in curiae academicae palæstra auspiciis, id actum est, vt viris, et munerum, quibus funguntur, dignitate; et meritorum in litteras sibi que comparatae eruditionis laude ornatissimis supremi academiæ honores sollempni ritu tribuerentur. Decretum simul ab academiæ patribus fuerat, vt quinto feriarum secularium die theologorum\* et iurisconsultorum: alio, qui commodus videretur, medicorum et philosophorum ordo, candidatos suos in publicum sollempni pompa produceret, inque eos summa eruditionis ac virtutis præmia in templo academico, loco caerimoniis his destinato, more institutoque maiorum conferret. Id quod quum ratum haberetur, dicto illo die ad horam matutinam nonam in aedibus venerandi parentis conuenere omnes, qui ad pompam hanc ornandam ab utroque theologorum et iurisconsultorum collegio vocati fuerant. Intransibus per vestibulum tubis occinebatur, insonante simul æneorum tympanorum voce. Neque hic defuere matutina bellariorum varii generis oblectamenta, quibus hospites et quicumque aderant, quantum cuius liberet, vterentur. Præcun-

tibus

\* theologorum ordinis nomine ad hæc sollempnia spectanda inuitavit vir summe reuerendus IO. CHRIST. KOECHERVS singulari programme, cuius est inscriptio: *Paulum apostolum potiori iure, quam diuum Petrum vniuersalis ecclesie doctorem adpellandum existimandumque esse demonstrat atque ad actum publicum, quo inter sollempnia secularia secunda academiæ ienenfis viri octo summe et maxime reuerendi d. VI. febr. doctorum theologiae titulo ornabuntur, humanissime inuitat* D. IO. CHRISTOPH. KOECHERVS.



tibus more consueto tubicinibus octoque professorum liberis pulchre vestitis, quibus tot pictae ac coronatae ardentes faces praeferebantur, totius huius sollempnis pompae itus et ambitus ex platea ioannea in forum, ex foro in templum academicum fuit. Splendidum erat procedentium agmen, magna exterorum et ciuium, vndique conuolantium, turba stipatum. Quum ventum esset ad fores templi, omnia personuere tubarum tympanorumque clangore, fidicinum tibicinumque choro non sine magno auscultantium plausu apte sciteque concinente. Finito cantu, surrexit pater meus, ordinis sui brabeuta, habitaque oratione de diuinae erga ienensium theologorum ordinem providentiae documentis, octo candidatos sacrarum litterarum doctores sollempni ritu renunciauit. Supremos deinde in iuris prudentia honores eodem die eodemque modo duo praestantissimi doctrinaeque laude insignes viri sunt consequuti, perillustri atque excellentissimo IO. CASP. HEIMBURGIO brabeutae provinciam administrante. Sollemnibus omnibus rite peractis, ferenissimorum ducum et exterarum academiarum legatis, patribus conscriptis, eorum vxoribus multisque aliis spectatissimis ciuitatis nostrae viris lautissimum epulum in principis palatio ab utroque ordine datum fuit. Conuiuium ad vesperam usque tractum est. Sequuta sollempnis et magnifica saltatio, cum diluculo demum, vt solet, finita.

EADEM propemodum dicenda forent, si, quod aliquo tempore post in sacrorum nostrorum memoriam medicorum et philosophorum collegium iunctim instituit, sollempne sacrum fuisse hoc loco describere vellem. Quum vtriusque ordinis candidatis

didatis eadem virtutis et doctrinae laus merito deberetur, quam sibi summorum in theologia et iurisprudencia honorum candidati comparauerant, necesse profecto visum, vt laurea ipsis in templo academico iisdem quoque caerimoniis solito more tribueretur. Brabeutae munere in medicorum ordine vir perillustis ac celeberrimus CAROLVS FRIDERICVS KALTSCHMIDIVS: apud philosophos excellentissimus atque amplissimus IO. GOTTFR. TYMPIVS functus est. Pompa sollempnis eo die ex laudati perillustis KALTSCHMIDIJ aedibus, ad forum sitis, in templum academicum ducta est. Si ab ipsis academiae ordinibus, quorum auspiciis pompa haec instituta est, discesseris, nihil profecto fuit, quod eandem a priore, quam supra descripsimus, distingueret, par vtriusque amplitudo et dignitas, par comitatus splendor, par sollempnium ipsorum adparatus, siue matutina in aedibus Kaltschmidianis, antequam ipse coetus in publicum procederet, inuitatis praebita esculentorum et poculentorum oblectamenta; siue sacrorum rituumque procurationem; siue ipsam, quum pompa duceretur, itus, ambitus et reditus magnificentiam cogitare velis. Finitis sacris, lectisternii instar, in Kaltschmidianis aedibus conuiuium ab utroque ordine datum fuit, lautissimum certe et sumtuosissimum. Cui vt nihil defuit vel ad cultum vel ad elegantiam; tum hoc quoque singulare eidem accessit decus, quod, praeter tres illustrissimos comites, qui litterarum causa apud nos commorantur, celsissimos comites ROCHVM FRIDERICVM DE LYNAR, potentissimo Danorum regi in publicis rebus a consiliis intimis ducatumque Oldenburgi et Delmenhorsti summum praesidem, ac HENRICVM XXIII. iunioris lineae Ruthenum

them comitem, in conuiuiis suis videre, vtrique ordini datum fuit.

EA est magnorum sollempnium ratio, vt, quum finiantur, ipse finis celebritatem habeat, isque non sine laetis futurarum rerum auguriis constituatur. Cuius rei perficiendae causa societas teutonica, vt nouum suae erga academiam pietatis ederet specimen, conuentum publicum in iurisconsultorum palaestra indixit, quo seculares academiae nostrae feriae memorabili exitu boni ominis causa concluderentur. Surrexit in eo vir illustris atque excellentissimus, IOACH. GEORG. DARIETIVS, SCHMAVSIIQUE noua, quibus is naturae leges inniti voluit, principia adcurate excussit ac diiudicauit. Postquam vir illustris dicendi finem fecerat, quaestionem: vtrum ope tubulorum vitreorum, quibus aeris grauitas explorari solet, locorum quoque altitudo definiri eorumque situs ratio rite illis expediri queat, in medium proposuit nuper praematura morte extinctus vir excellentissimus atque amplissimus, BASILIVS CHRIST. BERNHARD. WIEDEBVVGIVS. Quod quidem argumentum WIEDEBVVGIVS noster sic persequutus est, vt ex ipsa aeris natura atque indole, id ipsum, quod in hac causa per multi voluerunt, ad τῶν ἀδυνάτων classem referendum esse, erudite demonstraret. Finita oratione, splendidissima eorum sodalium nomina, quos in sacrorum horum secularium memoriam societas honoris causa sibi adiunxerat, \* in eodem conuentu

\* sunt vero: serenissimus princeps ac dominus, FRIDERICVS GEORGIVS dux Brunsvico-Beueranus: illustrissimi imperii comites ac domini, CHRISTIANVS

uentu a laudato beato WIEDEBVRGIO, dum viueret, eidem ab epistolis, publice recitata sunt.

Hic finis, hic exitus sacrorum nostrorum secularium fuit. Magnificam et sumtuosam et tanta luce dignissimam omnium eorum procuracionem fuisse, quibus facile perspiciet. Nos vero deum optimum maximum, litteratae huius reipublicae custodem et conseruatorem, precamur, vt tot praeclaris academiae huius in omne litterarum genus meritis famae et gloriae constantiam: eius venerandae senectuti vigoris et viriditatis perpetuitatem: omnium honorum pro eius sempiterna salute in hoc sollempni sacro votis euentum laetissimum et binis his praeterlapsis academiae seculis tertium florentissimum et vere aureum addat. Tantaе huius, quam pro academia oramus, et paene inuidendae felicitatis certissimum pignus in serenissimis illius conseruatoribus: in diuinitus nobis data serenissima ANNA AMALIA nostra, ducum Brunsvicensium et Saxonicarum omnis memoriae summo et immortalis decore: in terrarum nostrarum palladio, in hereditario, inquam, principe nostro serenissimo, CAROLO AVGVSTO eiusque celsissimo fratre FRIDERICO FERDINANDO CONSTANTINO concessum nobis esse, iure

STIANVS ERNESTVS, comes imperans Stollberga-Wernigerodanus, aquilae nigrae eques: HENRICVS ERNESTVS, comes Stollberga-Wernigerodanus, eques Danebrogicus et Halberstadiensis scholasticus: HENRICVS VI, comes Ruthenus, supremus totius comitatus Sonderbutgenensis praefectus, eques Danebrogicus, et potentissimi Danorum regis a consiliis intimis: ROCHVS FRIDERICVS, comes de LYNAR, potentissimi Danorum regis in publicis rebus a consiliis intimis, comitatum Oldenburgenensis et Delmenhorstii summus praefectus, et eques Danebrogicus.

iure meritoque laetamur. Has nostras delicias, tantam hanc tantae spei principum genitricem deus nobis conferuet numineque suo, cuius praesentiam a primis suis incunabulis academia haec mirifice experta est, efficiat, ut in hoc sanctissimo musarum templo litterarum ac honestissimarum artium studia omni tempore floreat, vigeant, et in dies maiora dignitatis suae incrementa nanciscantur. Sit academia nostra perpetuum idque firmissimum religionis purioris propugnaculum: florentissima ingenuarum et liberalium disciplinarum officina: tutissima omnis diuinae pariter ac humanae sapientiae sedes. Id si dederit nobis benignissimus deus, posteris, si quando tot faustas in his feriis adclamationes legerint, auspicatissimum nobis saeculorum saecularium tempus contigisse, ut manibus nostris bene sit, precaturi fatebuntur.





Yc. 469.

V078

ULB Halle 3  
001 609 793



TA → OL

V077

M. C.









9.

SACRORVM  
ACADEMIAE IENENSIS  
SECVLARIVM  
HISTORIA

AVCTORE  
IO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO

ELOQVENT. ET POES. PROF. PVBL. ORD. SOCIETATIS  
LATINAE IENENSIS DIRECTORE



IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS  
C1D19CC LVIII

